

resurrecturos juvenili forma, quod docet D. Thomas, III. p. Secundo, dicitur fulsisse a Matthæo, fulguris instar, tum ut perterrefaceret custodes sepulcri, tum ut dotem claritatis reliquumque splendorem in beatis ostenderet. Tertio, cooperatus stola candida, tum ut festivitatem gaudii paschalis nobis insinuet, festivitatem, inquam, et hominum et angelorum, quia illorum resurrectione horum reparantur ruinæ, tum ut ostendat omnia in cælo nivea et candida esse debere, nihilque inquinatum in illud introire. Vidit per somnium B. Anno episcopus Coloniensis paulo ante mortem, amplissimum palatium, in quo inter vicinos episcopos sanctitate claros, Heribertum Coloniensem, Bardonem Moguntinum, Popponem et Everardum Trevirenses, Arnulphum Wormatiensem aliosque quos in vivis noverat, se quoque vestibus indutum pretiosis et albis conspexit, sed pectori inerat macula, quam frustra conabatur tegere. Vidit etiam cathedram sibi paratam eamque splendidam; quam cum ascendere pararet, audiit ab Arnulpho: *Patres hi consessu hoc te non recipiunt, nisi eluas maculam.* Hoc dicto evigilans Anno notatum se persensit de aversione quadam animi a Coloniensibus, a quibus injuria affectus et urbe ejectus fuerat; atque ita se corripuit maculamque diluit, Reginardus, lib. II. vitæ, c. XXV. Lamb. Schafnab. in chron. Quarto, sedisse dicitur ad denotandam beatitudinis quietem et immutabilitatem. Nihil in hac vita stabile, nihil in quo acquiescere possimus. Unde S. August. *Domine, ait, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quinto, a dextris designans statum beatæ æternitatis, in quo degere cæpit Christus redivivus, et in quo degent omnes beati, constituti ad dexteram judicis, statum, inquam, perpetuæ prosperitatis, gaudii et gloriæ.

VI. Quibusnam primo annuntiatus et ostensus Christus redivivus? Resp. feminis, Magdalene, et deinde aliis quæ cum ipsa venerant. Causæ cur in hoc viris prælatæ sint, hæ videntur esse; prima, quia prima mulier, Eva, mortis internuntia fuit, et prior gustavit pomum mortiferum, voluit Deus ut mulieres jam vitæ nuntia essent et priores participarent gaudium resurrectionis. Secunda, quia majore zelo et devotione præditæ erant; planxerunt enim Dominum exeuntem ad Calvariæ montem, adstiterunt etiam crucifixo tametsi a longe, adfuerunt sepulto, primæ ad sepulcrum abierunt, cum apostoli pene omnes diffugissent et serius venissent; jure ergo, ante illos gaudium resurrectionis Dominicæ recreatæ sunt. Tertia, ne muliebris sexus ejusque devotio a viris spernatur et rideatur, quem scimus hoc

privilegio viris esse prælatum. Durat adhuc in mulieribus quasi hæreditario jure hæc devotio et viris stimulum addit vel certe pudorem injicit, dum ordinarie in templo et re divina, necnon sacramentorum perceptione priores et frequentiores viris sunt. Quod ergo Dominus de Magdalena dixit Pharisæo: *Vides hanc mulierem?* Hoc de istis feminis videtur omnibus viris dicere: *Videtur has mulieres?* Quantum vos præcellunt? Quarto, quia magis erant idoneæ ad resurrectionis promulgationem, velut minus de dolo suspectæ quam discipuli, minus etiam obnoxie animadversioni judicium.

VII. An et quando Deiparæ filius redivivus apparuit? Resp. apparuisse ei ante omnes, uti censent communiter patres, D. Ambr. I. III. de virg. D. Anselmus, de excell. virg. c. VI. D. Bonnav. in vita Christi, D. Birgitta, l. III. revel. c. XCIV. et alii. Ratio est prima, quia hoc matris dignitas postulabat, et filii erga eandem observantia. Samson favum mellis in ore leonis quem occiderat, repertum parentibus impertivit, Jud. XIV. occur non et Christus matri suæ dulcissima resurrectionis suæ gaudia, quæ ex interempta morte reportavit, primæ omnium communicaret? Secunda, quia idipsum matris merita requirebant. Nemo omnium ita sensit Christi passionem, nemo tot tristitiæ fluctibus obrutus fuit, nemo tam desideranter expectavit redivivum Christum, atque ipsius mater: decuit ergo ut ipsa præ omnibus gaudii resurrectionis ejus particeps fieret. Unde Rupert. I. VII. de div. offic. c. XXV. putat Christi resuscitati hanc primam fuisse vocem: *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris,* Cant. IV. Erat enim illa tunc mons myrrhæ, quia amarissimæ passionis filii recenti dolore plena; collis thuris, quia meditationi et desiderio resurrectionis ejus intenta. Cæterum hujus apparitionis non meminere evangelistæ, quia eas tantum scripsere, quæ citari poterant in testimonium resurrectionis Christi: matris autem testimonium de filio receptum non fuisset a Judæis.

VIII. Cur mulieres ad discipulos mittuntur nuntiatum eis resurrectionem Domini? Resp. primo, quia apostolorum erat eandem toti orbi annuntiare: ergo et præ aliis scire. Secundo, quia ipsi præ cæteris ex passione Domini suaque fuga magis consternati et dejecti, præ cæteris etiam erectione indigebant. Tertio, quia conspectu Domini et magistrî magis erant digni magisque ad credendum dispositi. Judæi velut porci margaritam hanc pedibus calcassent, ideo eis objecta non fuit. Non capit gaudium Domini, qui putrescit in peccatis suis.

IX. Cur in specie jubentur eam indicare Petro?

Et cur eidem primo inter viros peculiariter apparuit Dominus? ut colligitur ex Luc. c. XXIV. Resp. primo, quia erat caput apostolorum, futurus etiam totius Ecclesiæ pastor. Secundo, quia ipsius testimonium plurimum valebat apud cæteros apostolos: *Surrexit Dominus vere,* inquit, *et apparuit Simoni.* Feminarum testimonii nullam mentionem faciunt. Tertio, quia ex sua negatione magis contristatus erat quam cæteri: unde egebat præsentiori et peculiari medici opera ad dolorem leniendum. Voluit ergo Dominus eum speciali hoc favore ad fiduciam et priorem amicitiam erigere; quasi non meminisset injuriæ acceptæ, ne concideret animo discipulus qui peccarat ex timore. Unde apparet Christi benignitas et clementia, qui tam cito obliiscitur peccata lacrymis punita, et præterea solatur illos ac speciali favore prosequitur, ut fortius resurgant.

X. Cur in Galilæam ablegantur apostoli ad videndum Christum resuscitatum? Resp. primo, quia in Galilæa jucundius velut in propria patria, necnon securius cum ipso agere poterant, nam in Judæa metu Judæorum continebantur, præsertim Jerosolymis, ut docet S. Chrysost. Secundo, quia illo destinataræ spectatissimam et omnibus discipulis communem apparitionem, factam plusquam quingentis fratribus; quorum multi debebant in Galilæa. Tertio, quia in Galilæa frequens prædicarat, imo prædicationem inchoarat et plura signa fecerat; debuit igitur

ibi suam resurrectionem speciatim manifestare ad confirmandam doctrinam et miracula sua et solidandos in fide eos, quos ibidem ad se traxerat. Quarto, ob causam mysticam, ut doceret nobis transmigrandum esse (quod sonat Galilæa) a vitiis ad virtutem, a cupiditatibus præsentis sæculi ad desiderium futuri, si videre ipsum in cælesti gloria velimus.

Sed cur prævenire Dominus suam promissionem voluit, dum apparuit prius nec semel discipulis in Judæa? Resp. Galilæa apparitionis mentionem factam, non quasi ea sola vel prima futura esset, sed ut inde confirmarentur in fide discipuli, memores prædictionis Dominicæ, Matth. X. *Ego cum resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Voluit autem citius et mox in Judæa se illis ostendere primo, ne in fide ejus vacillarent aut omnino corruerent. Quanta enim eorum infirmitas fuerit, testantur duo illi qui dicebant: *Nos autem speramus quod ipse redempturus esset Israel,* Luc. XXIV. Secundo, ne ex dilatione aspectus ejus nimium affligerentur, qui amore ejus æstuant, absentiam ægre ferebant. Denique, ut non uno loco nec uno tempore, sed pluribus eis apparens suam resurrectionem testatorem ac certorem faceret iis, qui ejus testes et præcones in orbe futuri erant. Admiremur ergo, auditores, Domini nostri bonitatem et paternam sollicitudinem erga fideles suos: deinde videamus quales nos vicissim et quam promptos ad servitium ejus exhibere debeamus, etc.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### SANCTITAS ET GAUDIUM HUIUS DIEI.

I. Quia dies orientis solis. — II. Quia dies resurrectionis. — III. Quia dies phase, seu transitus lætitiæ pleni.

#### THEMA.

*Veniunt ad monumentum, orto jam sole.*

Marci XVI.

Antiqua Germanorum cantilena hodie concinitur: Adeo sanota est hæc dies, ut a nemine satis delaudari queat, nisi ab ipso Dei Filio. Quod si res ita se habet, qua ratione ergo diem hunc laudare nemo satis potest? Imitabor ergo hominem illum, qui reperta ove, quam perdiderat, convocavit amicos et vicinos dicens: *Congratu-*

*lamini mihi, quia inveni ovem meam quam perierat.* Imitabor et mulierem illam, quæ reperta drachma, quam amiserat, convocavit amicos et vicinas dicens: *Congratulamini mihi, inveni drachmam, quam perdideram,* Luc. XV. Perdideramus nudiustertius agnum Dei immaculatum, qui tollit peccata mundi, pro nobis immolatum: perdidimus drachmam, cælo præstantiorem, hodie invenimus ovem et drachmam nostram. Quod igitur nemo solus potest, faciamus omnes simul, dicentes et jubilantes: *Ecce dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Causas porro gaudii nunc inquiramus.

I. Deprehenditur ex Germanica appellatione, seu, haud dubie, a voce quæ significat orientem, qui solem nobis post longæ noctis tedium omnia illustrantem et lætificantem affert. Sic enim

et hodierna dies Christum nobis attulit, qui solis instar *pertransit benefaciendo*, omnia vegetans et recreans. Inde antiqui Christiani ad orientem adorabant et templa aedificabant, quia inde sole occidente occidunt fere et languent caeterae creaturae, flores multi se claudunt, cum oriente oriuntur et aperiunt se. Sic Christo occidente omnes languiebant creaturae, ipseque sol naturalis luxit, omnes etiam homines per universum tristitia aliqua tangebantur, ut revelatum S. Birgittae, at nunc cum eo omnia revixerunt. Moebant in via Emmautica discipuli, at viso Domino redivivo, supra quam dici potest, gavisii sunt.

Videbatur etiam Christus Judaeis ante triduum occidisse velut deinceps nunquam appariturus. Verum decepti sunt. Sol quidem occidit, sed hodie rursus ortus est. Unde bene sabbatum in solis diem transiit. Atque hic est exitus vitae Christi gloriosus. Varios progressus habuit ejus vita, nunc laetos, nunc tristes, ad instar illius Idumeani fontis, *Job* appellati, de quo S. Isidorus, lib. XIII. originum, cap. XIII. scribit, quod in anno quater per singulas angarias colorem variet. Primo, turbidus et pulverulentus; deinde sanguinolentus seu purpureus; postea viridis; denique purus et limpidus. Eundem fluxum tenuit vita Christi, primo enim a nativitate usque ad passionem fuit turbida, i. e. mixta laetis et tristibus, nec vulgo perspecta; alii enim dicebant, quia bonus est: alii, non, sed seducit turbas, nunc quaerebatur, nunc fugabatur: nunc esuriebat, nunc alios pascebat, nunc quaerebatur ut rex fieret, nunc ut vincetus duceretur. In passione fuit sanguinolenta et purpurea. In resurrectione viridis et laeta. In ascensione demum crystallina et gloriosa, quando gloriam et decorem induit. Itaque istam varietatem exceperit laetissimum pascha, et tandem gloriosa ascensio. Quid nocuerunt Christo Judaei? Promoverunt eum ad gloriam, ipsi reprobati et ejecti sunt. Lapidem angularem a se reprobatum statuerunt in caput anguli. Hunc ludum omnes pii hic ludunt, et lusit ipse S. Job, (a quo et ipso Idumaeo videtur fons ille nomen accepisse) qui in maximis suis doloribus spe resurrectionis se consolabatur dicens: *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum*, c. XIX. Prima Jobi vita etiam mixta fuit bonis et malis. Secunda sanguinolenta in tentatione. Tertia viridis, cum reddita ei omnia duplicia. Denique in caelo crystallina, quando hodie Dei gloriam aspexit, ereptus a Christo e limbo tenebris.

II. Ex Latina appellatione, dies enim *resurrectionis* appellatur, non solum ob resurrectionem Christi, ut jam diximus; sed etiam ob nostram

eamque geminam. Prior est secundum carnem, quam expectamus: Christi enim resurrectio, etiam nostra est, uti probat apost. I. Cor. XV. *Si Christus surrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam, quoniam resurrectio mortuorum non est? Et si mortui non resurgent neque Christus resurrexit*. Idecirco enim mori voluit, ut resurgere posset, nobisque resurrectionem et mereretur et persuaderet. Qui namque seipsum resuscitare potuit mortuus, non possit alios suscitare vivos? Nec caput resurgit sine corpore. Et si Adam potuit cadendo nos prosternere: cur non possit Christus resurgendo suscitare? Jam vero quantum hoc! Sine metu, periculis, molestia, defectu, semper beatum vivere, et mori non posse? Empedocles philosophus Agrigentinus amore immortalitatis, quam praedicari audierat, in Aetnae montis voragine insilit. Cleombrotus Ambraciota, lecto Phaedone Platonis de immortalitate animae, de muro se in mare praecipitavit, Cic. lib. I. Tuseul. Sic isti, sola humana licet fide ducti, desideratam immortalitatem sed stulte quaesierunt. Tanta res est immortalitas. Nec mirum, quid enim est, quod omnia mundi gaudia confundit? Nonne mortis expectatio? Hinc enim Balthasar rex Babylonis, cum prius in convivio laetus et hilaris laudaret deos suos, postquam in pariete aspexit triste mortis omen, funestam scripturam, totus conturbatus cibum omnem respuere, tremere et palpitare, necnon praemetu exclamare coepit, Dan. V. Quod si ea scriptura ipsi nuntiasset, aeternum fore regnum et convivium ejus, quanto gaudio eum perfudisset? Hoc annuntiat nobis Christi resurrectio.

Secundo, posterior secundum animam. Quam multi enim prius jacuerunt in sepulcro vitiorum foetidissimorum? Et forsitan adhuc diutius jacerent, nisi de isto Christus resurgens eos suscitasset. Hinc quasi cum eo redivivi spiritualiter, non jam jejunamus, non jam genua ad orationem publicam flectimus (quia haec lugentium sunt) ob laetitiam resurrectionis Christi et nostrae per paschale tempus.

III. Deprehenditur ex Hebraico ejus vocabulo *phase*, quod est *transitus*, sic dictum primo, ob transitum angeli per domos Hebraeorum in Aegypto. Secundo, ob transitum eorum per mare rubrum, ut vult Aug. tr. LIII. in Joan. Tertio, ob transitum eorumdem ex Aegypto in Palaestinam, ut Philo, Josephus et Nazianzenus volunt.

Omnia haec nobis nuntiat hodierna dies. Primo, Judaeorum perfidorum interneccionem, confessionem et timorem: nostram vero liberationem, gloriam et gaudium. Unde angelus prosternit custodes, mulieres erigit: *Nolite ti-*

*mere vos*. Judaei nunc territi dant pecuniam custodibus, ut Christi redivivi gloriam celent; sed nihil proficiunt. Ab eo namque tempore sensim defecerunt, et post triginta octo annos in paschate a Tito obsessi, primis hostium castris in monte Oliveti positus, capti ejecti et dispersi sunt. Sederunt prius fratres Josephi, et comederunt, Josepho in cisternam detruso, sed postea famem passi sunt, Josepho in Aegypto deliciis affluente, Gen. XXXVII. et XLII. Eadem catastrophem senserunt Judaei, prius illudentes Christo crucifixo, postea ejecti famem patientes ut canes.

Secundo, nostram redemptionem, quia per mare rubrum sanguinis Christi liberati sumus ab hostibus nostris daemionibus, nobis a tergo imminentibus. Quanta confusio Goliatho fuit, quod a pastorio juvene, belli inexperto, quem prius adeo despexerat, uno lapidis jactu prosterneretur, et proprio gladio ab eo decapitaretur? Multo major est confusio daemionis, qui cum tantus gigas sit, a pueris et ancillis, ab homine mortali tam facile superatur postquam semel a Christo victus est. Celebre est, quod refert Bzovius, anno 1281. hoc ipso die resurrectionis Gallos inique dominantes Siculis, ad pulsum campanarum pro horis vespertinis omnes ab incolis trucidatos fuisse. Unde *vespera Siculae* in proverbium abierunt. Dominati fuerant daemones generi humano cum immani tyrannide; hodie resurgens Christus, et cum terrae motu quasi campanae resonant, omnes interneccioni dedit, nosque ab eorum tyrannide eripuit.

Tertio, patrum e limbo transitum ad gloriam, quasi de Aegypto in Palaestinam lacte et melle manantem. Quod non solum ipsis, sed et nobis maximum attulit gaudium, non enim jam expectare beatitudinem post mortem opus est, nisi quis hinc efferat secum expurgandum aliquid. Perrupta est caeli janua, neminem foris remans, qui se mundo non affixit.

Haec videntur esse causae, ob quas dies hodierna semper omnium sanctissima est habita, et festum festorum dicta. Quam proinde veteres Christiani maximo in honore semper habuerant, ita ut eo die imp. christiani mandarent, aperiri carceres et solvi vincetos, ut Valentinianus, Valens et Gratianus sanxerunt, lib. VIII. de indui. crim. Theodosius imp. ut testatur S. Chrys. orat. de Flaviano. Denique imperator Otho Magnus paschatis festo non aulicos tantum, sed et principes imperii epulo magnifico excipere consueverat. Accedit vero et cum dapes regio luxu inferrentur, puer nobilis cujusdam fame urgente manum patenae immitteret. Id egre ferens dapifer, alapam puero impegit. Pædagogus.

II. PARS HIEMALIS.

gus pueri ira percitus dapiferum transfodit, nec mora, ab ipso Caesare, cessantibus reliquis, ob diem festum comprehensus tanta vi reluctatus est, ut nisi satellites intervenissent, Othonem ipsum interfecisset. Jamque in vincula pædagogus ducebatur, læsæ majestatis reus. Caesar vero re secum altius perpensa: *Nil gravius in eum committatis*; inquit, *utrius majus delictum? Ego resurrectionis Dominicæ, ille majestatis imperatoris oblitus est. Præstat ergo non judicare quam judicari*. Refert Joan. Paulus in loco feris. Igitur ob hodiernam diei sanctitatem peperecit inper. reo læsæ majestatis suæ, vitæque insidiatore; imitemur nos Germani Germanorum imperatorem, et, ut plerique volunt, Germanorum primum, dimittamus omnes inimicos nostros, condonemus omnes injurias: quando et ipsi Judaei vincetum e carcere in paschate dimittebant; quia et nos hac die dimissi e vinculis sumus tartaræ potestatis, et asserti in libertatem filiorum Dei, conressuscitati cum Christo ad vitam nunquam interituram.

## CONCIO II.

### TRIPLEX RESURRECTIO NUNTIATA PER HERBAM ALLELUIA.

I. Resurrectio nostra spiritualis. — II. Resurrectio Christi solatii nostri unici. — III. Resurrectio secundum carnem universalis.

*Alleluia, alleluia, alleluia.*

Herba est auditores quæ hoc verno tempore reperitur in his terris et vocatur a medicis *acetosella*, vulgo vero *alleluia*: propterea quod appareat circa tempus paschale, quo laetissimum ubique resonat alleluia, denique ab agricolis herba cuculi, quod cum cuculo prodeat. Quare sicut cuculus nuntiat vobis veris jucunditatem: ita herba *alleluia* paschatis laetitiam, non una in re contentam, uti nunc videbimus.

Audivimus heri cantari a sacerdote in s. missa tria alleluia. Primum voce alta, secundum altiore, tertium altissima. Designant autem mea sententia triplicem resurrectionem. Primum nostram spiritualem in Dei gratiam, et hæc gaudium plena est. Secundum resurrectionem Christi corporalem, gaudium pleniorum. Tertium resurrectionem carnis omnium nostrum in die judicii, gaudium plenissimum. Omnes has resurrectiones nuntiat etiam nobis herba *alleluia*.

I. Nuntiat nobis resurrectionem nostram spiritualem, qua secundum animam a sepulcro vi-

tiorum eluctati sumus per pœnitentiam, et vestiti stola gratiæ candida, stamus in Dei gratiâ, et amicitia. Habet enim herba, de qua diximus, flores candidos, singulos in singulis stylis, purpureos distinctis venulis. Vidit aliquando in spiritu S. Joannes turbam magnam sanctorum, stolis albis amictorum. et dictum est ei ab uno de senioribus: *Hî sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni*, Apoc. VII. Idem ego mihi videre videor, dum aspicio vos auditores, turbam, inquam, magnam sanctorum, qui venerunt de tribulatione pœnitentiæ, et operum pœnialium in se susceptorum, et laverunt, et dealbaverunt stolas, hoc est, conscientias suas in sanguine agni, Christi videlicet pro nobis immolati. Mira est hæc dealbatio quæ fit in sanguine quia nimirum pax conscientiæ nostræ, et stola animæ candida, quæ est gratia Dei, Christi sanguine constitit; nobis sanguinem non attulit, sed candorem, h. e. justitiam, pacem, et gaudium in Spiritu s. quæ sunt regnum Dei, ut ait apost. ad Rom. XIV. Regnum inquam gratiæ, per quam regnat Deus in nobis et per quam nos regnaturi sumus in cœlo, perfecte, et complete. Atque hoc indicant venulæ floris; de quo diximus, purpureæ. Purpura enim regum insigne est. Et quia per gratiam inchoative jam reges sumus, habentes pignus regni cœlestis in nobis, ideo stolæ animarum nostrarum purpureis venis ornate sunt. At hæc quanta est dignitas! Quanti gaudii nuntium! Quando servi Saulis regis nuntiarunt Davidi ex ore domini sui: *Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis*: quid respondit David? *Num parum videtur vobis generum esse regis? Ego autem sum vir pauper et tenuis*, I. Reg. XVIII. Denuntio etiam vobis auditores, quotquot hoc paschali tempore cum Deo reconciliati, et sanguine agni dealbati estis: Ecce placetis Regi cœlesti, et omnes ejus servi, omnes angeli, et sancti in cœlo diligunt vos. Et nunc designati estis, non dico generi, sed filii Regis regum, Christi. Num parum hoc videtur vobis? Non adeo magnum erat esse generum Saulis, regis novi et brevi morituri. At parumne est, esse filium et hæredem Regis regum immortalis? Parumne est hominem e terra formatum, fieri civem cœli? Consociari Deo? Frui bonis cœlestibus et æternis, eum qui hic tenuis, contemptus et pauper erat? Diligi insuper et honorari ab angelis et omnibus sanctis? Parumne est haberi jam intra se pignus gloriæ, pacem cordis et gaudium Spiritus sancti? Cogitent qui ante ferias paschales in statu peccati detenti fuere, quanto in timore et turbine vixerint, cum

viderant Pharaonem cum exercitu a tergo sibi imminetentem, quam bene nunc ipsis sit, eum vident eum demersum in mari rubro sanguinis Christi, jacere peccatorum suorum cadavera ad litus projecta et enecta: se vero per mare illud incolumes transiisse. Cogitent, quam grave saxum incubuerit sepulcro cordis eorum. Nunc id remotum est, et sepulcrum reseratum per confessionem, excusso fœtore. *Gaudete igitur, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, Luc. X. secundum præsentem saltem justitiam, quam spero vos consecutos esse.

II. Nuntiat nobis resurrectionem Christi, unici thesauri et solatii nostri, secundum carnem. Nuntiat hanc flos prædictus in suis tribus foliis, quæ cordi figuram expriment, et initio quidem incurva, languida et dejecta pendent, velut auriculæ catellorum dependulæ; postea se erigunt. Simili modo Christus tempore passionis in tribus foliis suis, corpore, anima et divinitate videbatur contabuisse et prorsus elanguisse. Corpus erat plenum vulneribus ac doloribus, et destitutum viribus; anima plena tristitia: divinitas humiliata, quia obscurata fuit ejus sapientia, dum in judicio nihil respondit; ejus potentia, dum se non defendit, nec ullum miraculum fecit; ejus sanctitas, dum a magistratu velut malefactor condemnatus et latronibus associatus est. At hodie surgens erexit folia ista maxima sua gloria. Eadem Christi resurrectio restituit cor discipulis ejus et cæteris Christianis, qui sane tempore passionis et mortis Christi admodum dejecti, mœsti et desolati erant, ita ut plerique se absconderent metu Judæorum, aut intra parietes inclusi prodire non auderent, sicque amisere et dejecerunt animos, conciderat illis cor. At ubi Dominum suum redivivum viderunt, ibi erexerunt animos. Tunc prodire et ad sepulcrum currere, læta et fausta invicem nuntiare. Audite duos illos abeuntes in Emmaus, quam dejectis animis dicant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel*, Lucæ XIV. « O discipuli, ait, S. Augustinus, serm. CXL. de temp. sperabatis, ergo jam non speratis. Ecce Christus vivit, spes mortua est in vobis. » Quantum igitur prius contristati fuerant de nece sui Domini, tantum postea exhilarati sunt e conspectu redivivi. Victis ad Thrasimenum Romanis, mater quædam Romana, eum post denuntiatam sibi mortem filii sui, videret redeuntem e prælio filium, quem mortuum putarat, præ gaudio expiravit, Valer. lib. IX. cap. XII. Quo gaudio perfusus putamus Christi discipulos aliosque ejus amicos, cum viventem aspexerunt, et quidem jam immortalem, longe

augustiore forma et habitu, quam prius erat, gloria et honore circumdatum! Credo sane, si repente et inopinato suis apparuisset, quod præ gaudio corruissent: idcirco sensim et per angelos internuntios hoc eis gaudium insinuat. Optarant forsitan illi, ut provocatus de cruce descenderet et inimicos suos sterneret gloriamque ac potentiam suam ostenderet; quo modo Samson diruptis vinculis stravit Philisthæos; at longe major gloria Christo et gaudium Christianis erat, resurgere eum a mortuis, et per hoc irrefragabile argumentum ostendere se Deum; siquidem purus homo seipsum suscitare mortuum nullo modo potest. Multo ergo majore gloriosa exivit de sepulcro, quam descendisset de cruce, illa enim ratione longe plures stravit hostes, omnes scilicet incredulos.

Magna fuit lætitia Hebræorum, quando post reditum e Babylone restaurarunt templum; *vociferabantur enim in lætitia et elevabant vocem*, ut habetur I. Esd. III. Verum juniores solum gaudebant qui non viderant templum prius: qui majestatem prioris templi aspexerant, sine comparatione majorem, præ mœre flebant. Non ita factum hic; templum enim corporis Domini, longe speciosius longeque augustius priore hodie surrexit. Unde nemo piorum fuit, qui Christo resuscitato non gauderet. In ipso enim proprie verificatum est illud Aggæi II. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ*. Quid profecistis, o Judæi, quando vetus templum corporis Christi vestro odio destruxistis? Ecce vobis novum, speciosius priore, cujus instaurationi occasionem dedistis: Samsonem in Gaza inclusistis, ut enim ille, sic hic portas mortis revulsas fert in humeris suis usque ad montem cœlestis beatitudinis.

III. Nuntiat omnibus fidelibus lætissimam corporum suorum et gloriosam resurrectionem, et post illam, vitam beatam per omnem æternitatem: nuntiat hoc flos *alleluia*; viridi colore trium foliorum; trifolium enim est viridis coloris. Quid vero color viridis nisi spem futuri alicujus boni, sicut virescentia prata et arbores vernalis tempus annuntiant? Hinc enim Dominus Lucæ XXI. diem resurrectionis universalis veri et arboribus in vere germinantibus comparat. Quæ causa etiam est, cur Ecclesia in diebus dominicis a pentecoste usque ad adventum utatur in templis colore viridi; quia illæ appellantur Dominicæ peregrinationis ad cœlestem patriam, et sunt quasi octavæ et perennis commemoratio resurrectionis Christi. Quæ per adventum aguntur, sunt expectationis Christi; quæ per quadragesimam, sunt captivitatis et pœni-

tentiæ nostræ; quæ a paschate ad pentecosten, albo et festivo, ob Christi resurrectionem jam factam, utuntur habitu. Reliqua igitur, quæ significant peregrinationem ad futuram resurrectionem nostram, viridi colore spem certam nobis ingerunt ejus consequendæ.

Porro tria floris folia, quid sunt nisi tres dies, quibus adhuc expectare resurrectionem illam necesse est? Quæramus ex Josepho somniorum expositore: Quid sibi volunt illæ tres propagines vitis, quas pincerna in carcere vidit? *Tres propagines*, inquit, *tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharaon ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum*, Gen. XL. Similiter tria illa floris folia tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Rex gloriæ Christus ministerii nostri, et servitii bene pieque ipsi impensi; tum denique assumet nos ad regiam suam cœlestem. Sed quinam illi tres dies? Dicat nobis S. Augustinus, serm. XC. de temp. et quidem ex Osea, c. VI. dicente: *Vivificabis nos post duos dies, in die tertia suscitabis nos*. Quinam hi tres dies? *Prima dies*, inquit, *passio Domini Salvatoris est. Secunda, qua descendit ad infernum. Tertia autem, resurrectionis est dies*. Ad horum dierum normam, prima dies nostra est, dies passionis, qua hic in mundo tribulationes varias sustinere nos oportet: altera dies mortis, qua in sepulcro secundum corpus quiescendum est, usque ad evocantem ultimam tubam. Tertia summo mane e somno mortis nos excitatura, est dies resurrectionis universalis. Quid hoc triduum, auditores, respectu æternitatis secururæ. Nonne tres tantum dies, imo tres horæ potius censendæ sunt!

Ibi restituemur in gradum pristinum paradisi, unde expulsi sumus, imo longe nobilioris: illius nimirum, quem promisit Christus latroni in cruce, paradisi cœlestis. Ibi offeremas Christo calicem passionum et tribulationum, quasi hic pro amore ejus sustinimus: phialas item plenas odoramentorum, h. e. orationum et aliorum operum bonorum, quales obtulerunt Christo in cœlo viginti quatuor seniores, Apoc. V. Ibi vicissim Christus offert nobis calicem vini novi, quod se cum discipulis suis, aliisque utique electis bibiturum in cœlo promisit: ibi ipse præcinget se et faciet nos discumbere, et transiens ab uno ad alterum, ministrabit nobis.